

V C  
1842



271

A  
B  
C



Ad Illustris. Saxonix Principem: Magnificen-  
tis. ducis Ioānis Filium: pro primo suo aduētū  
in urbem Albiorenā Georgii Sibuti Poetæ &  
Oratoris laureati: Carmē & deprecatoriū pro  
prospera valitudine sertum.



Cum te Phœbeo precinctum flore uiderem  
Serta dedi raptim non peritura tibi  
Inspexi mollem tenui de fronde coronam  
Nostra sed æterno yimine sertā uigent

205-7  
Nominis excusatio Illuf. Principis

Quod te non nostri posui sub tegmine libri  
Parce: duplex nomen dicitur esse tuum  
A patre Ioannes (dederat Federicus & vnum  
Imperii elector) quod tibi forte placet  
Ipse lubens igitur vellem subscribere nomen  
Nescio quod primum debet habere locum

Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat crinitus Apollo  
Dum sua uictrices uelarunt tempora lauri  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat Semeleius Euan  
Dum nitida virides gestabat fronte corymbos  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat Cyllenius olim  
Aliger ætherea dum uenit missus ab arce  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat Saturnia proles  
Plumea dum niuei cepit uelamina cigni  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat sub sidere Phœbus  
Splendidus æthereis primum dum luxit in astris  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat de vulnere Thisbes  
Qui propriam stricto uitam consumpserat ense  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat Tyrinthius auctor  
Dum deus ex homine est diuino numine factus  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat Hiacinthus in agro  
Mollia dum uerni cepit uelamina floris  
Vidimus excelso puerum de sanguine crætum  
Non puerum: sed qualis erat Lapithæus alumnus  
Prima Panomphei dum sumpserat arma parentis



Vidimus excelso puerum de sanguine cœtum  
 Non puerum: sed qualis erat proiectus in æquor  
 Aefacus: & mergus uagibundo pectore factus  
 Talis erat noster nostro de principe princeps  
 Dictus Ioannes genuit quem dux Ioannes  
 Namq; later magnum tenui sub pectore robur  
 Hoc agiles nitido monstrant in corpore uenæ  
 Maxima quas licito polliuit gratia tractu  
 Ut facili faciles seponit in ordine gressus  
 Veloci celeres monstrat sic poplite plantas  
 Absolon haud illum forma: non saltibus Alcon  
 Non cursu Ladas: non ui Calidonijs hæros  
 Exuperent: plenos Princeps dum creuit in annos  
 Inde decens sacra pollet pinguedine corpus  
 Splendida cui nitidum donauit munera pectus  
 Aurea fulgentes circumdant uincla lacertos  
 Candida & in magna ceruix albedine splendet  
 Os tenerum: nec labra tument: stant ordine dentes  
 Nigra supercilia & miro frons alta lepore  
 Hinc niuei flauos nutrit sub uertice crines  
 Gemmea quos uiridi precingunt uincla corona  
 Ventilat in torto roseum dum culmine sertum  
 Prona uelut facilis cernuntur dona choragi  
 Dices en celsa paranympus uenit ab arce  
 O decus o splendor: Saxonæ gloria gentis  
 Cum tantum nostris fulges conspectus ocellis  
 Ipse ego arundineum contexi carmine sertum  
 Quod nunc crescenti debes imponere fronti  
 Tempe mihi tales non dant Peneia flores  
 Sed quæ uirgineo lactauerat ubere Christum  
 Per quem longeuum digneris uiuere tempus.

Carmen Eiusdē in vitā sanctæ Annæ Illustris.  
 Principi. donatum: & p̄ modū sertū editum.

A ii

Virgo sublimis claro de sanguine virgo  
 Deq; tribu iuda:proles Dauitica venit  
 Corpore perspicuo:vultu facieq; decora  
 Moribus incessu:nulli probitate secunda  
 Corde timens toto quē pontus:& aer:& æther  
 Quē uolucrū cecinit gen<sup>o</sup>:& quē bruta fatētur  
 Quē patres tristi uenturū uoce uocabant  
 In limbo positi:colit hunc de sanguine creta  
 Virgo regali:& totā cum corpore uitam  
 Huic p̄mittebat:fruituram uirginitate  
 Sese precingens utroq; uolente parenti  
 Illius est cunctis Emerencia nomen in oris  
 Virgo Carmeli ueneranda montem  
 Et domum prisce remeans Helye  
 Imbibit uitam ueteris salubrem  
                     Relligionis  
 Quo uiros prisce ueteres eremi  
 Pane cœlesti saturasse fertur  
 Virgo cunctatur teneris ab annis  
                     Immaculata  
 Intonat sermo paritur suauis  
 Quo modo legem tulerat Moises  
 Gentium ductor:Pharaonis hostis  
                     Pacis & auctor  
 Sobriæ uirtus meditata mentis  
 Et sacri prestans probitas Helye  
 Labra diuinæ refluunt puellæ  
                     Ordine miro,

Hæc nisi cœli coluit parentem  
Cuius ingenti veneranda laude  
Pectus intactæ tulerat decorum

Virginitatis.

Esse maturam genitor puellam  
Sed uiro vidit: statuit: peregit  
Ex ea dulcis soboles daretur

Posteritati

Illa sed miro pudibunda vultu  
Orsa diuinis iterum labellis  
Te precor longa genitor frui da

Virginitate

Inde mox fratres adiit fideles  
Flosculum cepti cupiens pudoris  
Longius casta retinere mente

Atq; precatur.

Vos ego vœros rogitō ministros  
Iam dei nostri referare mentem  
Pergite orando: thalamos ne possim

Ferre pudicos

Cum dei mitis fuerit voluntas  
Ducar haud falso marium cubili  
Vlla nec nostrum poterit cupido

Frangere pectus

Virgo precatur: adestq; cohors fratrum. sed ubiq;  
Cor iubet alternas cœlos conscendere mœtes  
Oratu insultant faciles. deus o deus illi  
Perpetua sit fas vt virginitate fruatur

A iij

Nil aliud q̄ mens. q̄ cor. q̄ spiritus optat  
Posse tuæ sanctam legis q̄ uiuere vitam  
Persistunt precibus? votū glomeratur in vnū.  
Sed deus inq; aliam dignatus uertere formam  
Virgineū meminit casto sub pectore florem  
Scilicet humanæ ventura propago salutis  
Esset ut hæc: somno pariter uidere iacentes  
Quæ uenit pulchræ missurus dona puellæ  
Ipse sopita senior quiete  
Ductus arbustum resonare præceps  
Audit. in densa tenuemq; uidit  
Arbore ramum  
Ramus in miros renitere flores  
Ceperat. flores tribuere fructum  
Fructus ingentes faciavit agnos  
Arbore lapsus.  
Hoc patres miro positi sopore  
Hauerant. quid sit dubitant. & inde  
Dant metus. & tum cupiuntq; scire  
Quid velit istud.  
Voce diuinum tenera relatum  
Dixit arbustum thalamum puellæ  
Ramus in sancta ueluti repandus  
Traditur Anna.  
Virginem flores aliam reuisi  
Quæ foret nostrum paritura regem  
Permanens virgo. thalamoq; clauso  
Mater & esset.



Fructus humane pariter salutis

Illius partu fuerat notatus

Scilicet natum genuit Maria

Nomine christum;

Sic patres fessi nimio precatu

Rursus accepto properant relatu

Et uirum sanctam referunt puellam

Esse habituram.

Auribus magnum sonuit pudicis

Quæ tamen iussos capiunt supernos

Seruiant illis sine fine frete

Munere tanto.

In genu virgo cecidit reflexum

Coniugem quærens animo benignum

Corde præstantem probitate cinctum &

Corpore castum.

Sex uiros luxu tumido refertos

Spreuit. & tandem peccit probatum

Mente Stollanum. thalamo pudoris

Cui properabat.

Ille quidem simplex & toto corpore iustus

Dignus erat sancti fructum producere uentris

Scilicet. humanæ cum spes promissa salutis

Sæcula foemineo ventura per omnia partu

Esset. & in tenuem posthac lapsura puellam

Huius erat cepti Stollanus auus. tamē omnem

Discutit hinc luxum nec erat sibi uana voluptas

Sponsus in hac est spe par est sentētia sponsæ

Hic proles tantum generandæ pectora iungi  
Idq; deo gratum. sacros cur fœmina fructus  
Facta tulit. natamq; parit de stirpis lesse  
Claro perpetuum gestantem sanguine nomen  
Anna per totum memoratur orbem  
Nomen illius placidum puellæ  
Quam pudor: virtus probitas fatentur,

Corpore castam.

Bethleem miro studuit pudore  
Donec exactam iuuenilis ætas  
Ceperat uitam potuisse carnem

Gignere carne.

Ergo maturos properans in annos  
Induit sacræ documenta legis  
Et uiro nupsit cupiens ab illo

Cernere prolem:

Sanctior cunctis Ioachim vocatus  
Quem suum dixit Galilea natum  
Et domus ciuem nasarena longas

Cepit in horas.

Hic simul magna probitate fretus  
Iam deo prolem voluit superno  
Sed diu chara sterilis uacabat

Coniuge lectus:

Creber in fletu gemitus coacto  
Venit amborum tocies parentum  
Tristis oratu. tremuloq; quærit

Poplite fructus.

Vt fuit mansit sterilis sed Anna  
Donec oblatum Solymas itura  
Esset. & mesto lachrymas tepore  
Emaduisset.

Ipsæ præcessit Ioachim sed illam  
Cui ait antistes procul hinc abito  
Heus procul. nostram miser o salutem  
Non tibi posce

Cur uelis sacrum penetrare templum  
Inquit. indigne & sine prole. perge  
Illa non nostras maculabit aras  
Victima cœsa

Anna mox isdem reprehensa uerbis  
Ingemit. tristisq; domum reuersa  
Flens stat expectans reditum mariti  
Pectore mœsto

Ille sed in uasto Ioachim delusus hiatu  
Profiluit. mestoq; arctas in corpore fauces  
Quærit & inde gregis curâ. sed mente retracta  
Rursus ait. deus o nil hæc mihi munera nil hæc  
Munera que cernis. sed tu da cernere prolem  
Posse tuum est. sit mas aut fœmina: corpe toto  
Nostra tibi debent illam cunabula natam  
Non hinc discedâ. nō hinc me plurimus imber  
Frigus & intensum non hinc me pellere debet  
Donec ab excelso mihi uox mittetur olympe  
Hæc fatur. longasq; deinde retorsit in horas  
Optatum: missus cœlesti venit ab arce

Angelus. & mira solatur uoce dolentem  
Surge ait. iq; domū. prolis tete Anna parentem  
Iam faciet pulchræ. nomē cui impone Maria  
Magna tibi. maiorq; deo. sed maxima mundi  
Spesq; salusq; erit hec. sterilis sic Rachael Ioseph  
Deq; Sara. gentis Isaac benedictio uenit  
Et Samson sterili fortis de uentre parentis  
Cum Samuele fuit. quo non est sanctior alter  
Priscis auditus. Samson fortissimus atq;  
I celer. & tristes ultra non excute fletus  
Q d dixi. uerum est. memori tu mente teneto  
Cū uenies Solyme ad portas eris obuius Anne  
Hiis dictis abiit. tulerat sed mœsta dolores  
Interea multos. quam iusserat una dierum  
Cura duplex oculi madidas effundere guttas  
Illa dies festi fuerat. ne forte tumultum  
Fletu discuteret. uiridem diuertit in hortum.  
Hic ubi gramineū lachrimis madefecerat antrū  
Tolle meos. orat. tristi sub pectore fastos  
Qui cœli cursus & terre numina uertis  
Tolle precor. tolle. & fecundā reddito matrem  
Talia uix orsa est. Gabriel prolapsus ab alto  
Aufer ab hinc gemitus. ait & cōpescce dolores  
Quid petis? audita es. dabitur tibi filia. perge  
Aurea uos inter. Solyme iam porta probabit  
Cum vultum vultus capiet. mox Anna recessit  
Atq; uirum uidit. exultat? talia fatur  
Chare mihi Ioachim. Ioachim spes unica plis

Venture. tristem quo te pepulit dolor ingens  
Iamq; redis. letam & profers sub pectore mentē  
Atq; ego leta nimis. nostrū iam respice tectū  
Ingredimur. prolem p̄dixit missus ab arce  
Angelus excelsa. fecundo matris ab aluo  
Hæc ueniet. sterilis ultra non Anna manebit  
Dixit & in paruo concepit tempore posthac  
Eximiā specie. & formosam corpore natam  
Clausa. per hanc nobis reſerata eſt. ianua cœli  
Cū genuit Chriſtū cui laus p̄ ſœcula canēda eſt

Τελοσ.

Ad Diuam Annā ut Illuſtris. Principis  
uitā in prospera & florenti conualeſcen  
tia conſeruet.

Hexaſticon.

Diua preces ſummo mater perſolue tonanti  
Ut queat extentos dux numerare dies  
Cumq; datum chari uires implere parentis  
Anna ducis uœrum dirige mater iter  
Emicet in Martem calcato fœdere quando  
Illius in dextra mater adeſſe uelis.

Impreſſum Albiburgii per Ioannem  
Gronenberg. Anno. Milleſimo quin  
gentefimo octauo.

ματηρ ε̄ pro  
δ-στα  
ι-ο-ο-ο-ο-ο

QK 7  
20/1842

*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through.]*

*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]*

*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]*

*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]*

*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]*

*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page.]*

24



ULB Halle


3

001 947 435









QR XVIII, 1

V c  
1842

tris. Saxonix Principem: Magnificen/  
s Ioānis Filium: pro primo suo aduētū  
n Albiorenā Georgii Sibuti Poetæ &  
s laureati: Carmē & deprecatoriū pro  
prospera valitudine fertum.



te Phœbeo precinctum flore uiderem  
Serta dedi raptim non peritura tibi  
i mollem tenui de fronde coronam  
Nostra sed æterno yimine serua uigent

13

